

1606 meni, Venetiarum Antistitis, nondum ab Apostolica Sede confirmati, vices obtinebat, duobusque aureæ basilicæ canonicis Senatus consulto injunctum, ut Ignatianorum cuncta ad templi cultum spectantia notis excipiant; bibliothecæ, quam instructissimam atque egregiam habebant, indicem conficiant: vestimenta, libros, privataque scripta, uti petierant, auferre permissum. Duo insuper earum rerum curatores (*œconomi* vocantur) dati: marcii templi sacerdotibus, ut sacra in eorum ecclesia peragerent, cunctaque ecclesiastica munera obirent, præceptum. Sexto idus maji duabus excepti naviculis, Decemvirum accensis, ne quid in itinere incommodi acciperent, comitantibus, noctu Ferrariam versus iter habuere, cunctis (mulierculis quibusdam, paucisque, quos sibi devinxerant, exceptis) summa eorum discessu voluptate affectis, omniaque in illos probra maledictaque jacentibus; ac ni publica obstitisset pietas, lapidibus quoque a plebe impetiti discessissent. Privatas domos coenobiaque adeundo, ne proficisci permitterentur, contendisse; scripta complura flammis dedisse; multa clam furripuisse, ferebantur. Id pro certo constitit, Inicum Cardineum, Philippi legatum, per eos dies sæpe ad illos ventitasse, capsulas cera oblitas aliquot domum asservandas asportasse. Nihil in eorum ædibus magni momenti inventum. Statim cunctis cum terrestribus tum maritimis magistratibus datæ literæ, ut Ignatianis omnibus tuto abitum permitterent.

*Jesuitæ
Venetiis
abegunt.*

*Capucini ac
Tolentinates
Venetiis
discedunt.*

Eorum exemplum Capucini ac Tolentinates secuti; qui licet patere templa, alios sacerdotes divina peragere, sacris suos inservire permissuros, concionaturos, canonicas horas recituros, sacrificia occulto se celebraturos obtulissent; atamen, ne si id fieret, in diversas partes civitas scinderetur, idemque ab aliis ordinibus peteretur, Patres veriti, professioni annuere. Capucini, crucis vexillo præeunte, aris campani funibus deligatis, non absque cunctorum civitatis ordinum indignatione, qui in eos semper omnia munificentiae ac liberalitatis argumenta cumulaverant, proficiscuntur. Tolentinates noctu abiire, quodque in Ignatianis, idem in iis servatum; curatores constituti, indices conscripti, sacerdotes sacra in eorum templis peragere jussi. Inter hæc vel rei novitate